

sa est frigiditas ipsius. Et non negauerim de mala ratione victus, & de mala vetriculi temperatura. Ista breuissimè dicta sint: Credo quòd mulier in causa sit: & siquidem verū est, quòd sit causa frigiditas, oportet ut calefiat & siccetur & corroboretur. Et si caput destillat, occurratur capiti & ventriculo. Ideo arbitror optimum esse, ut cōcoquatur materia pituitosa cū incidentibus, attenuantibus, abstergentibus, ut syrum de betonica & oxyuelle. Factis vero concoctionibus, euacuetur pituita cum pilulis, quæ habent colocynthidem & agaricum, qui verè ista euacuant pituitam. Et post purgationem deueniamus ad balnea: quæ maximè conueniunt: bibeda prius, postmodum maneat in illis: ex quo fouebitur locus proprius, & facilè inde concipiet, auxilio Dei, cūm partes illæ fuerint roborate ex tali balneo, & ex medicamentis iam enarratis.

CONSILIVM CCCXVI.

Ad sustentationem partus.

LECTVARIVM hoc ter in die samendum, duo cochlearia, tribus horis ante cibum, & in introitu lecti.

R. Succi pentaphylli,

Betonicæ,

Rad. consolidæ ana. 3 iij.

Purifcentur succi, & cūm zuccharo candido fiat electuarium.

Mortuo embryone.

R. Aristolochiæ rotundæ,

Panis porcini ana 3 j.

Sauinæ,

Florum tamarisci ana m.j.

Bulliant in aqua cōmuni, huius decocti 3 iij. Dentur cūm iuleb viol. 3 ij. Primò sumat vnam pillu. trochisc. de myrrha, & superbibat hunc syrum calidum.

Viuente partu.

R. Cassiæ ligneæ 3 j.

Cinnamomi electi,

Cassiæ fistulæ ana 3 ij.

Aquaæ sauinæ vel iuniperi q. f.

Fiat potus.

Ad retentionem fætus pro abortientibus.

R. Olei myrtini rosati omphacini 3 iij.

Coaguli hœdi,

Boli armeti orientalis,

Balaustiorum,

Masticis,

Sangu. draconis,

Hypocistidos,

Sem. ros. rub. acatiæ,

Rasuræ eboris,

Cornu capri vst. ana 3 8.

Cæræ q.s. fiat vnguentum.

CONSILIVM CCCXVII.

Pro ischiadico.

Vm accedetis ad ægrotum, quod primum debetis agere, est istud. Primum consteimpleni vultum, deinde colloquamini cūm ipso, postea tangatis pul-

sum, & obseruabis omnia quæ vobis ad morbi cognitionē erunt necessaria. Decumbit hic ischia dicus, qui ad tabem ferè peruenit. Adsunt febris continua, tabes totius corporis, dolor in sinistra parte circa glandulas, inguinis dolor, non erigit crus, sed flectit. Ista omnia cōsideranda in hoc ve niunt. Quomodo curandus hic erit & liberādus ab his affectibus? Indicationes erunt necessariae. Vnde: à natura morbi & symptomatib⁹. Sed p̄ supponemus primò eius temperaturā, quæ est calida, siccā, cholerica: est enim gracilis, & talis fuit sanus: pili plurimi in corpore, & nigri, crassi, venę amplæ. Laborauit antea ex hepate: & vt dixit, habuit morbum Gallicum. Est Ceretanus, vagabūdus, vixit inordinate, vt solēt isti. Incipiam⁹ à primo symptomate. Primò sensit dolorem cum tu more in partibus glandulosis circa pubē, qui causatus est à materia pituitosa, vel etiam ex fæce sanguinis, in eam partem natura debilem delata, propter ambulationem, & vietū inordinatum: com

Cunicata deinde est propter loci vicinitatē, nervis & musculis mouētibus crus, qui aut resoluti sunt, aut debiliores facti: fortè etiā per vertebrales dorsi delata aliqua materia eō decubuit. Morbus ergo est mala intēperies, vel obstructio in istis partibus. Febris est symptomata: quia materia multa in locū aliquē depulsa, nō bene euentata, necessariò putreſcit: & puto febrē esse hecticā, quæ vt plurimum iungitur putride, et si ex ephemera potest fieri trāitus in hecticā, sicut dicit Gal. multò ma-

Dgis ex putrida, p̄cipue in cholerico corpore diu laborante. Si velis febrem morbus appellare, nihil refert. Febris putrida ferè semper iungitur hecticæ. Et hoc est quod Auic, inquit, primā & secundā specie hecticæ cognosci difficultimè. Contrariū dicerē videtur Gal. sed Auic. intellexit de hectica cōiuncta putridę: & sic doctissimi isti viri nō sunt pugnates. Atrophia seu tabes, fit propter dolorē febremq;: sed priūm vitiū est in nervis & musculis pedum. In cura respiciendū est ad id, quod

E est principale, quo ablato auferūtur & cætera, ut Métho. quod habet rationem in causæ sine qua non cætera curari possunt: quod perpetuò in complicatis vitijs est obseruandum. In hoc casu dum dolor adeſt, tolli nequaquam cætera poterunt. Dolor ergo primò sedetur. Solet autē sedari aut per mitigatorium, aut per stupefactiū, aut per euacuatiū. Nō per duo priora, ergo per euacuationem. Sed iste humor faciens dolorem, vel totus decubuit in partē, vel habet adhuc causam fœn-

F té. Euacuare ipsum non ausim, quia fuit satis purgatus, & heri lumpis pillulas satis fortes: p̄treare est arefactus omnino. Sed ex loco oportet tolere materiam. Instituatur regimen primò, deinde à loco materia euacuetur. Sed quibus modis? Aut fométis, aut emplastris, aut vtrisq;. Et nota, si per emplastra applicata rubescit locus, erit iter curæ cognitū, quia materia dissipabitur & resoluetur: si minus, cura erit difficilis & impossibilis. Postquā igitur facta est generalis euacuatio,

G fomenta applicabimus, & emplastra quater aut quinque: si tumor non obedit, ad fortiora ibimus: si neq; tum, ad chirurgiam ægrū mittemus. Inter reliqua semper habeat patiens ventris beneficium.